

Vd.
857



26.



№. 43, 35.

V 2
851.

DE
LEGISLATORIS HVMANI
DIVINITATE

AVGVSTISSIMO
FRIDERICI AVGVSTI
SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE
POLONIARVM REGIS ET ELECTO
RIS SAXONIAE &c. &c. &c

EXEMPLO
LEGVMQVE SAXONICARVM INDOLE
ADMODVM CONSPICVA
IN AVDITORIO MAIORI

Die 11. Feb. 1713cccc

SOLENNITER PISSIMEQVE DIXIT
IVXTA ATQVE MAIORVM MORE NOVVM ACADEMICVM
MVNVS D. R. E. P. F. FELICITER OBTEVTVM
AVSPICATVS EST

CHRISTIANVS HANACCIVS

VITEMBERGENSIS SAXO
D. ET SAXONICI IVRIS PROFESSOR PVBLICVS ORDINA
RIVS IN ACADEMIA PATRIA CLEMENTISSIME
CONSTITVTVS


VITEMBERGAE

AERE EPHRAIMI GÖTTLOB EICHSFELDII

47.

4





P. P.



Audeo uehementer ac laetor, illuxisse tandem diem, quo et Numinis diuini prouidentia, et AVGVSTISSIMI AVGVSTI nostri clementia, prorsus diuina ac regia, in hunc me locum, nostratibus Musis tam sacrum, totque diuorum uirorum et summorum decorum atque togatorum heroum uestigiis celeberrimum, prodire iussit, iuxta atque in summae pietatis deuotissimique cultus partes uocauit. Aeterno uidelicet ac praepotente Numine clementer moderante, SERENISSIMVS POTENTISSIMVSQVE POLONIA-RVM REX atque PRINCEPS ELECTOR SAXONIAE, DOMINVS, DOMINVS meus LONGE INDVLGENTISSIMVS, in illustri hac sua Academia, Professionem Iuris Saxonici ordinariam clementissime mihi deferens, celebrique Patria me dignum censens, triplici, eodemque uere diuino, beneficio me cumulasse, atque exornasse uidetur. Namque ita regiam hanc Munificentiam, qua PATER PATRIAE, in patria Academia, patrii iuris publicum me doctorem declarauit, summa pietas accipere iubet atque interpretari. Neque tamen tanta, ab utroque diuino ac humano Numine, in me largissime collata beneficia, siue eorum initurus sim numerum, siue magnitudinem pia expendere mente ac recolere uelim, satis uel capi accipiendo, uel remunerando, maximeque laudando, illustrari, posse uidentur. Quare, de partibus deuotissimae mentis

explendis, deque publice danda summississimi grati animi testifica-
 tione, tam ualde mihi argenti, id nunc potissimum comproba-
 tur institutum, ut et uobis, *Academiae Pro- Rector Magnifice* atque *Pa-
 tres Amplissimi ceterique O. O. Auditores honoratissimi*, mea quidem,
 cum publica, coniuncta causa, de legislatorum humanorum di-
 uinitate, uel solius AVGVSTI nostri augustissimo exemplo fa-
 tis clara atque conspicua, decenti sermonis genere, exponere, et
 muneris mei secunda ac felicia auspicia rei tantae, tamque sa-
 crae, quae sane, in legibus ipsis iuribusque Saxonis, maxima est,
 atque sanctissima, consecrare, apud animum habeam constitu-
 tum. Arduam esse rem, quam hic gerendam mihi fulcipio, uiri-
 busque meis omnino maiorem, intelligens, diuinissimum sanctis-
 simumque Numen supplex ueneror, religiosissimeque precor, ut
 imbecillum me hominem ac tenuem oratorem, de diuinitate hic
 aliqua dicturum, perbenigne iuuet doceatque. Vos quoque, Au-
 ditores O. O. honoratissimi suspiciendique, enixe oro rogoque,
 ut, si forte animaduuerteritis, me, aut argumenti dignitati hinc
 inde defuisse, aut uestrae expectationi minus respondisse, uolunta-
 ti tamen, consilioque meo et qualiquali perficiendi conatui hu-
 manissime benignissimeque faueatis. Viam, diuina humanaque
 gratia ac beneuolentia, hunc in modum, sicuti credo, satis mihi
 praemunitam, me, non sine felicitis cuiusdam auspicii atque suc-
 cessus spe, nunc ingressurum esse, magnopere confido. Ut uero,
 de re ipsa meoque consilio, in antecessum, summatim licet, ple-
 ne tamen constet, duo omnino summa rerum capita oratione
 mea complexurus ac persecuturus, primum diuinitatem, siue di-
 uinam aliquam Maiestatem, in legislatore humano conspicuam,
 generatim euincam, ac probatam dabo, deinde, quae et qualis il-
 la sit, speciatim breuiterque commonstrabo, atque exemplorum
 copia domesticorum potissimum illustrabo. Verum, ne res uer-
 borum obscuritate, ambiguaque intelligentia implicetur forte,
 uel

uel obruatur, operae pretium esse, duco, diuinitatis et illius, quod alioquin diuinum esse dicitur, dissimilem uariamque significationem, ueteribus ac recentioribus passim usitatum et familiarem, paucissimis enotare. Diuinitati opponi humanitatem, diuinoque humanum, tralatitium quidem est, iamque in primis scientiarum et artium liberalium quasi cunabulis, discitur, ab adultioribus autem sapientioribusque ita saepe numero ualde ignoratur, ut iidem, quid, in rebus humanis, fecerit Deus, diuinitusque omnino sit factum, merum, reputent, esse opus humanum. Sed, illum, qui diuina humanis, quadrata rotundis, summa imis, perperam miscet, sibi met ipsi minus constare, alias solet existimari. Tam longissime itaque cum a diuino absit humanum, in hominum conditionem aut plane non, aut, ratione tantum prorsus singulari, diuinum quippiam, uel diuinitatis aliquam considerationem, cadere posse, necesse est, fateamur. Ipsum uero loquendi usum, qui humanas uidelicet res diuinitatis hinc inde cohonestat laude gloriaque, collatis inter sese non minus sententiarum, quam uerborum, rationibus, triplicem potissimum esse, intelligo. Vel enim omne id, quod a summo rerum omnium effectu et conditore profectum est, diuinum salutatur, meritoque singula eius opera, sapientiae ac bonitatis plenissima, cognominari ita appositaque laude efferri, merentur, atque originis suae memoriam bene tuentur, uel ex uirtute quadam, humana maiori, quae in rebus conspicitur humanis, et diuinitatis argumentum et nominandi causa saepe sumitur, uel denique res humana, in suo bonitatis genere, multo praestantissima, longaque optima, ut excellentiae cognoscatur gradus, diuina solet appellari. Haec singula, crebris multisque aliorum testimoniis, facile hic possent a me probari, fusiisque confirmari, si modo illa uerborum uis lateret, ac instituti ratio diu hic haerere, uel commorari, pateretur. Probe tamen meminisse admodum attinet, quod deinceps

ceps pluribus ostendam, quotcunque supra quoque sint allatae diuinitatis significationes, illas coniunctim atque ad unam omnes, humanis Legislatoribus exacte mirificeque ac iure suo conuenire, eorundemque diuinitatem prodere eo plenior. At enim uero, datam fidem liberaturus, ante omnia, quod, in humano Legislatore, diuina omnino conspiciatur Maiestas, uel diuinitas aliqua, haud difficulter probatum dabo, itaque conatum perficere annitar, ut partim ab ipsius huius rei necessitate, partim a testimoniis diuinis, partim denique a communi gentium consensu, neruum ac robor probandi petam. Ac primum quidem extra dubium prorsus uidetur ponere cum societatis humanae conditio, tum Imperii, quo illa sustinetur, indoles ac natura. Etenim, homines, sibi solis relictos, atque ope aliorum auxilioque penitus orbatos, uix ac ne uix quidem diu saluos et incolumes esse permanuros, quisque, imbecillitatis humanae haud ignarus, concedet facile, neque ideo necessariam ipsius societatis civilis rationem temere in dubium uocabit. His autem positis, ac liberaliter ab omnibus concessis, ipsum quoque ponatur imperium civile, necesse est, quod communi praesit societati eiusdemque moderetur causam, ac tueatur salutem. Sed nunc, de ipso, uelim, quaeras, imperio humano, sub quod reliquos mortales, secundum rei naturam, subiunctos esse oportet, an illud diuinitate aliqua carere, tantumque humanis confisum atque subnixum uiribus et consiliis, subsistere, queat. Quod sane, neminem, nec Daum, nec Oedipum, existimaturum esse crediderim. Diuinitas enim aliqua Maiestatis humanae uere est anima, nec in homines, sua natura, inter sese aequales, potest existere imperium, nisi, quod prorsus sit diuinum, aut huius saltem uicarium, ac diuinitate sua praemunitum. Neque id, quod maximum est, ius uidelicet uitae necisque, singuli, cum ipsi in se illud non habeant, conferre posse in Principem uidentur. Nec deni-

denique ipsum hoc imperium humanum stare diu, ac factum, tetum seruari posset, sed necessario collaberetur, idemque aspernaretur quisque, ac Principis iussa pro lubitu contemneret, nisi hunc sua perpetuo tueretur diuinitas, quae, superiori esse obediendum, praecipit, hominumque conscientiiis blande instillat, uimque morem gerendi affert internam. Quam ob rem, siue imperii humani originem scruteris, siue stabilimen consideres, in hoc ubique spirat diuinitas, sine qua illud expiraturum esset illico certeque intermoriturum. Omnia haec et singula sana quidem atque exulta ratio facile assequitur, et plane capit, uerum aeterna ueritas, sacro comprehensa Codice, idem confirmat uberius, paulloque apertius declarat. Etenim, solenni Curiae coelestis stylo, Principes atque Legislatores humani passim Dei appellitantur, item uncti et uicarii ac Ministri Numinis diuini, sigillatimque e Regis, praeter ceteros sapientis, et diuino suo, quod probauit, iudicio, celebris, ore audiamus uerba ipsius aeternae ac diuinae sapientiae. Per me, illa inquit, regnant reges, et dominatores decernunt iustitiam, per me principes gerunt principatum, et potentes iudicant terram. Et quid tandem de eadem re clarius luculentiusque tradere potuisset gentium doctor, leges humanas diuinam appellans ordinationem. Haec est illa gloria ac diuinitas, quam, diuino iussu, in Iosnam, successorem suum, transtulit Moyses, quae iubendi auctoritatem suffulciuit, eidemque diuinitus confirmauit. E tam limpidissimo diuino fonte ductuque rationis, nihil non hauserunt quidem legislatores ac principes gentiles, sed purissimam aquam, sua saepe superstitione animique prauitate, corruperunt ualde et inquinarent. Diuinitatem e re admodum esse sua, bene intelligentes, ut eiusdem sibi opinionem, legibus uero suis, eo maiorem conciliarent auctoritatem, uariis identidem usi sunt machinationibus ac technis. Cum Deis immortalibus sese interdum collocutos esse, atque

que ab his legum ferendarum accepisse consilia et materiam, mentiebantur, quin etiam iidem munere quodamungebantur sacerdotali, uixque uidentur enumerari posse singula eorum conamina, quibus flagrantissimum suum diuinitatis studium ac desiderium declarare, et in actum deducere consueuerint. Hac de causa, in ueteribus numis ac monumentis, sub Deorum imaginibus, haud raro expressi conspiciuntur Principes, capita eorum, quod diuinitatis erat symbolum, radiantia ac nimbis circumdata, quo etiam honore uiui nonnunquam digni sunt habiti. Radiatas huc quoque refero coronas, deorum item ac diuorum cognominationes atque encomia, mortuis pariter ac uiuis identidem tributa, quae Christianis, aegre illud ferentibus, martyria saepiuscule accersebant. Eodem etiam pertinent imagines, statuae, cultus ac religionis causa, uel sibi met ipsis, uel antecessoribus, ac parentibus, positae atque erectae, quibus numen addebat consecratio, & adorationem uereque diuinum cultum exhiberi oportebat. Hanc ob rem, indignabundum Chrysostomum, pro conuisione, grauius perstrinxisse Eudoxiam, Augustam, testis est Socrates et Ammianus Marcellinus. Huic idololatriae ciuili modum ac finem imposuit Theodosius iunior, edita, anno CCCCXXV. Constitutione, quae integra reperitur, in codice Theodosiano, de imaginibus Imperatorum. Miro hoc ac tam uario conatu, quid sibi potissimum uoluerint Legislatores gentiles, nemini, credo, obscurum esse poterit. Diuinitatem ut sibi aliquam affererent, tam studiose laborabant, tam cupide moliebantur, tam anxie annitebantur, persuasissimum uidelicet exploratumque factis habentes, neque legibus suis, nisi diuinitate quadam communis, quenquam morem esse gesturum, nec ipsum Imperium suum saluum fore incolumeque, nisi diuinitus ac diuinae Maiestatis fulcro stabilitum esse, probaretur. Huius rei uestigia crebro hinc inde nonnulla, in iure nostro, occurrunt, quae satis superque docent,

cent, diuinitatis cuiusdam ualde cupidos fuisse Imperatores, summos Romanarum legum latores, maximumque et legum et imperii momentum in illa semper posuisse. Quam ob rem orationes et effata Principum passim uocantur oracula, si Princeps scriberet Senatui, scripti fini apponebatur, manu diuina, iurari assolebat, per Principis genium, ac Principes ipsi, familiari sua loquendi ratione, diuinitatem sibi uehementer complacere, haud raro innuebant, semet ipsos numina, suosque uultus sacros, uocantes, quod Theodosii, Valentiniani, Lotharii III. et aliorum exemplis Imperatorum abunde probatur et cognoscitur. Verum id perquam diligenter hic agendum est, ut, ubi quidem a uero aberrauerint gentiles, bene cognitum habeatur. Dicit enim uix potest, quo uesaniae ac stultitiae, uel nimium adulandi studium subditorum, uel ipsorum superbia Principum, saepe sit prolapsa, in primis uero hi in illo peccarunt maxime, quod sibi diuinitatem arrogarent propriam, nec ea, qua par erat, animi religione, Numini diuino acceptam ferre uellent omnem. Namque, sine Deo ac uera religione, non potest non conturbari ratio, atque in caligine ac tenebris uersari. Sed, quam temerarium quoque irritumque et impium ceteroquin fuerit hoc gentilium diuinitatis studium, fallendique lubricum propositum, omnia tamen facta sunt, summae necessitatis opinione, eoque consilio, ut salua esset respublica, imperiumque stabile atque firmum. Nihil ergo uidetur obstare, quo minus causae meae inde petere queam praesidium aliquod, illudque necessitatis documentum, quod supra sum pollicitatus. Quare, diuinitate, in Legislatore humano, iam generatim, quod satis esse poterit, probata, nunc, quod alterum argumenti caput est, eandem speciatim demonstrabo, eiusque singula momenta, legum potissimum Saxonicarum indole, **SE-RENISSIMIQUE LEGISLATORIS** nostri augustissimo exemplo, collustrabo. Est autem Legislator humanus, siue

B

ori-

originem eius, siue autoritatem, siue denique summi muneris
 administrationem, religiosa ac deuota mente considerem, diu-
 nitate aliqua, hac omni ex parte omnino conspicuus, perce-
 lebris atque munitus. Originem, quae hic diuini quid coarguat,
 duplicem esse, cognosco, muneris uidelicet, ac generis, quo-
 rum utrumque singulare aliquod diuinitatis documentum datu-
 rum esse, reperio atque intelligo. Si muneris summi Legislato-
 ris spectes originem, illud certe diuinitus esse acceptum, atque
 ab ipso aeterno Numine, remoto quidem omni intermedio fon-
 te, profluxisse, fatentur omnes, qui, de graui et ardua hac re, re-
 cte existimant, multa uero dissentientes exiliter dicunt, de popu-
 lo, maiestatem et constituentem, et in Principem conferente. Siqui-
 dem populus, electione sua, nihil facere amplius uidetur, quam, ut
 Maiestati, diuino iam consilio stabilitae et ordinatae, certam applicet
 admoueatque personam, eidemque fasces, e uoluntate submittat di-
 uina. Dubiis autem omnibus, in damnum ac detrimentum Maiesta-
 tis humanae pariter, et ipsius reipublicae, perperam ac temere
 excogitatis, abunde potest satisfacere ministerii ecclesiastici, matri-
 monii, potestatis patriae item ac maritalis exemplum atque argu-
 mentum. Etenim, in his omnibus ac singulis, diuinam negare
 institutionem atque ordinationem, nefas est, humanis licet consi-
 liis, si diuino huic instituto homines obtemperent, nihil
 non relictum esse uideatur. Quibus omnibus id euincere ac
 probare conor, illum, qui rerum summam habet in Repu-
 blica, summusque est Dominus ac Legifer, diuinitate qua-
 dam praeditum esse, atque, in diuinae Maiestatis honorem,
 Deum posse appellari. Haberet inde Domitianus, haberent
 alii Imperatores Romani, qui Deos sese ipsos ac dominos iden-
 tidem nominarunt, bonum causae suae patrocinium, si modo tam
 bono id fecissent consilio, nec, gentiles, monstri aliquid, con-
 tra Numen diuinum, aluissent. Hanc diuinitatis notam, bona fi-
 de atque conscientia profitentur nostrates summi Principes, dum,
 DEI

DEI GRATIA, quodcunque sint, sese esse, solenni curiae suae stylo, pronuntiant, Orientales vero Imperatores sese, eodem consilio, a DEO CREATOS uocare solebant. Quid ceteroquin hic, per non nullorum abusum, interdum factum sit, haud ignoro, sed nihilo secius loquendi formula, gentium ac diuino iure, non aemulatione quadam priuata, interprete, merito praeualet maximumque habet pondus. Diuinitate hac, iure suo, utitur Sacrum Imperium Romano-Germanicum, utuntur quoque eiusdem Procere, in ditionibus suis, ac terris, quidni etiam SERENISSIMVS noster, cum, ad huius Gloriosissimorum exemplum Maiorum, quod, e Saxonum historia antiqua, uere sustinere posse mihi uideor, superioritatem, cuius anima est diuinitas, reliqui fere omnes Imperii Ordines postea demum obtinuerint. Deinde generis quoque antiquitate atque natalium illustriorum decore perpetuaque felicitate, ueluti singulari quodam diuino munere, diuinitatis aliquod continetur momentum. Quo enim plus constantiae ac firmitatis res habent humanae, per se fragiles et caducae, hoc certe propius accedere ad diuinitatem aliquam uidentur. Hoc iam firmiter crediderunt antiquissimi Legislatores, quippe qui, multo rerum usu edocti, eo impensius sese ab suis cultum suasque leges eo sanctius custoditum iri, existimarunt, si quidem a diuturno atque fausto iam Maiorum imperio, propitii Numinis argumentum, pro republica, in posterum diutius feliciter gerenda, petere, deque eadem re populo suo plene persuadere, ualerent. Haec leges imperiumque stabiliendi praemuniendique ratio acceptissima semper fuit summis Principibus, Legislatoribus, tamque uehementer eorum occupauit animos, agitauit cogitationes et explicauit, ut, gentiles quidem, uel ob eandem causam, origines suas, siue per confictam adoptionem, siue simili commentitio conatu, ad Deos referrent ipsos. Sigillatim, de Seruio Sulpitio Galba, testis est Suetonius, eum, ne Imperii sui autoritas nouitatis contemptu euilesceret, paternam originem ad Iouem retulisse. De

aliis alii plures passim testantur, ac ueteres quidem Macedonum Reges ab Hercule, Lacedemoniorum ab Eurysthene et Proclo, Romanorum ab Anchisa et Venere, duxisse genus, perhibentur. Sed paullo melius atque felicius ipsa haec diuinitatis ratio consulit semper ac profuit Christianorum rebus Legillatorum, cum tantum prouidi Numinis in sese collatum beneficium pia ac sincera grataque mente ipsi agnoscere soleant. Idem etiam hilari animo agnoscunt subditi, et, coniunctis communibus suis uotis precibusque identidem redintegratis, tantae felicitatis publicae perennitatem assidue iuuant, seque, tam insigni coelesti munificentia, ad mutuam deuotissimi erga Legislatorem suum, diuinitus sat luculenter comprobatum, cultus ac religiosissimi obsequii contentionem, prouocatos esse sentiunt atque deuinctos. In quo quidem felicitatis genere, nemini cedunt Saxones, nullique sunt secundi, imo legum suarum, quibus, in Reipublicae suae flore, hucusque utuntur ipsi, antiquitate uincunt omnes Germaniae gentes. Quod uero ad SERENISSIMI nostri LEGISLATORIS natalium celebritatem originisque antiquitatem attinet, diuinitatis celebriora adsunt documenta. Si quidem Illius ac Maiorum suorum ortum et genus non solum inde a WITTEKINDO MAGNO, repeti omnino oporteat, quem, ob uitae sanctitatem, diui honore cultum esse, testatur Fabricius, Crusius, et monumenti Wittekindei inscriptio, in uico Westphaliae Angarico, referente Reineccio, indicat, uerum etiam, materni sanguinis uinculo, in linea recta, ad ipsum CAROLVM MAGNUM pertineant nostrates summi Principes ac Legillatores. Etenim IVTHA, HENRICI, ob natalium splendorem suaeque domus amplificatam potentiam, ILLUSTRIS cognominati, qui communis est Principum atque Electorum Saxoniae parens, mater, erat filia Hermanni, Landgrauii Thuringiae. Hic uero, quod Blondellus, in pleniori assertione genealogiae Francicae, plene probat,

probat, genus ad Carolum, Ducem Lotharingiae, Caroli Simplicis, Galliae Regis, nepotem, anno 1000000000 defunctum, referebat. Sunt denique iidem Serenissimi Misniae Marchiones, ad quos hodie Saxoniae Ducatus et Electoralis spectat dignitas, uera origine Saxones, et, docente Conringio, perito harum rerum arbitro, forte soli, qui Saxonici sanguinis supersint. Haec omnia ac singula in SERENISSIMI NOSTRI LEGISLATORIS diuinitatem, generis antiquitate et antiqua dignitate, perpetuaque rerum suarum felicitate, satis euectam et probatam, egregie conspirant, meamque assertionem abunde instruunt atque confirmant. Ad alterum itaque argumenti mei caput, ad eam uidelicet humani Legislatois diuinitatem, quae muneris illius grauitate continetur, demonstrandam, conuertor nunc atque accingor. Summa illa, qua Legislatois pollet humanus, iubendi ac praecipendi autoritas, quantacunque illa quoque sit, uel esse debeat, diuinitate sua sibi ubique constat, cum, sine illa, uerendum sit maxime, ne in ludibrium abeat, hominumque opprimatur contemptu. Sed, ut, quid mihi uelim, presse dicam, atque ad rem ipsam paullo propius accedam, ipsa illa diuinitas, qua omnis Legislatois humani fulcitur autoritas, duplici mihi potissimum uidetur niti et constare fundamento, partim uidelicet diuinis, quas Princeps, Dei uicarius, gerit, partibus, partim sacramento illo, quo Principi subiectionis datur fides et confirmatur. Quod ad eorum primum attinet, hominum, in homines, imperium ignorat ratio, excludit naturae iuriumque aequalitas, diuinum autem Imperium, uitae nostrae et benigna largitione et mirifica conseruatione plenissime assertum, omni est exceptione maius. Solius ergo diuini Numinis partibus fungatur homo necesse est, siquidem, e diuina uoluntate, ad humani generis conseruationem relata, in alios, imperio humano locus sit quidam relinquendus. Quod diuinum Principum uicarium munus, quemadmodum iam antea ostensum

sum est, luculentius commonstrat ipsa ueritas aeterna, diuinissimis literis consignata, cumque res ita se habeat, et sit omnino uerissima, consequitur inde, ipsam legislatoris humani auctoritatem diuinam, legum humanarum animam, nihil prorsus habere dubitationis. His itaque diuinitatis rationibus, satis superque adductis, consentaneum omnino esse uidetur, cunctas leges, a ciuili profectas potestate humana, cum diuinitas abstrahi ab illis nullo pacto possit aut debeat, iure meritoque diuinis quoque mereri dici, humano uidelicet tantum ministerio prolatas, diuino tamen honore perquam dignas. Quare uix existimari, falli Baldum, qui, Praetoris edictum Dei esse uocem, ab homine prolatam, asserit, si modo id, recte explicatum, satis bene sumatur. Quantum ceteroquin referat, quantumque communis Reipublicae salutis interfit, recte, uere ac pie de Legislatoris humani existimari auctoritate, legibusque ipsis, ab eo latis, superiora secula, ubi diuinum hunc uicarium legitimis eripere possessoribus studuit praesul Romanensis, proh dolor, satis experta sunt, capit quoque hoc sibi Saxonia, Deo ac Principi suo fidelis atque deuota. Namque ita Sacrorum nostrorum ratio, diui Lutheri ministerio instaurata, nos bene admonet ac docet, ut utrique Numini suum religiose tribuamus, SERENISSIMUMQUE nostrum PATREM PATRIAE pie colendo, ipsum uenerari Numen diuinum annitamur. Has Dei partes, in Saxonibus suis, tam sapienter et egregie tamque fauste ac feliciter gerendo, POTENTISSIMVS NOSTER, cum Maioribus suis, ita semper suam spartam ipsi aeterno ac praepotenti Numini comprobauit optime, uti ipsum hoc diuinum Numen perquam fideli suo uicario ac ministro uicarium suum et insigniter amplificandum, et ad ipsius sacri Imperii partem dimidiam, benigna atque singulari sua prouidentia, censuerit producendum. De cetero, in illo etiam diuinam maiestatem aemulari uidetur summum Principis munus, quod, quemadmodum
unum

unum est, idemque summum diuinum Numen, ita quoque, inter homines unius Reipublicae, unam tantum atque summam potestatem Imperii uis ferat finatque. Causam inde nonnulli, cur Maiestatis iura, natura sua, indiuidua sint atque esse oporteat, accersunt. Sed ego, misso huius rei examine, e domestici iuris indole et amplitudine, diuinitatis illius lumina, quae in promptu facile sunt, iterum hic petam. Vnum Legislatorem humanum unumque iustitiae uindictam praesse Saxoniae, eundemque summum omnino esse, partim leges ipsae, unius auspicio, nomine ac iussu, positae atque munitae, satis docent, partim, prouocandi altius, uetita licentia abunde astruit ac probat. Deinde, diuinitatis aliquod momentum humano Legislatore eiusque auctoritati ac muneri illud iusiurandum afferre, quod, subiectionis confirmandae causa, dici solet, summa huius rei grauitas docet, sanctitas approbat. Sit modo aliquis huic negotio solenni praesens, uideat modo, tot hominum sub dio aperta capita, erectos digitos, conuersos, cum animis, in unum oculos, audiatque iurantium uoces, dissimili sono murmurantes, pie tamen omnes in unius sacramenti sententiam consentientes, et tum mihi dicat, ane hoc diuinitatis tessera sit, et restitucio, quae erga hominem, ab hominibus, unquam possit expectari, maxima. Accedit quoque ipsius huius iusiurandi argumentum, quod prorsus et omnino diuinum est, cum illius summa eo redeat, ut tam innumeri homines se suaque omnia, uitam pariter atque opes, et, quodcunque in facultatibus suis uiribusque situm est, uni homini, ad huius patriaeque salutem communem, dent, dicent, conferent ac deuoueant. Sanctissimum uero Numen huic cultus generi non modo, ueluti testis ueritatis, ac mendacii uindex, sed, quod prorsus singulare aliquid hic in se continet, ut diuinissimus Autor in rem suam, interesse censetur. Ipsam hanc diuinitatis causam, in imperio legibusque suis, bene iam agnouerunt uete-

tes

res Romani, quippe qui, teste Feflo, facro fanctum, fiue diuinum, appellabant, quod, iureiurando interposito, erat institutum, ut, qui uiolaffet, morte poenas penderet, eamque ob caufam leges ipfae, communi fponfione fancitae, et mutuo facramento confirmatae, facratae et facrofanctae dicebantur. Iurant etiam Saxones, fuo uidelicet SERENISSIMO LEGISLATORI, qui deinde folus legibus fuo impertitur diuinitatem, de qua hic expono, populi uero fponfione communi, uel procerum quoque prouincialium confenfu, haud opus, horum licet bona confilia, fi quidem ea, qua par eft, fummiiffiffima circumfpectione, aperiantur, et rei grauitas id poftulare uideatur, clementiffime audiantur. Nec ceteroquin id ad diuinam legum noftratum indolem atque autoritatem omnino referre hic dubito, quod illae, quemadmodum Saxonum clientelare uinculum, cum fubiectione femper coniunctum, claufumque, quod dicunt, territorium, ac Landfaffiatus natura, abunde teftatur, in excellentiore imperii fui uirtute, paullo plenius fibi ament cupiantque conftare. Quae tandem ultima eft fummi Legislatoris humani diuinitatis ratio, illam, in ipfa tanti muneris adminiftratione, poftitam effe, cognofco, et, ad tres illius partes fummatim hic a me reuocandam, cenfeo. Diuinum uidelicet hoc effe negari non poteft, quod diuinarum legum custodia humano hoc contineatur officio. Diuinitatis porro documento eft, fi tales ferantur leges humanae, quae fanctitate, utilitate, honeftate ac perennitate fua fingulari, humano aliquid maius prodant et coarguant. Iuftitiam denique Princeps, diuino quodam more ac zelo, feruans, uindicans, adminiftrans, certiffime hominibus reliquis fuam comprobabat diuinitatem. Ac primum quidem, diuini cuiufdam honoris loco, id fummis haberi legiflatoribus humanis iure meretur, quod ipfum fanctiffimum Numen, imperio licet fuo omnique potentia tam longe eminentiffimum fit, et fibimet ipfi facile fufficiat, nihil

nihilo tamen fecius illos utriusque sibi tabulae custodes constitue-
 re uigilantissimos, atque sic ipsius imperii sui prouidaeque cu-
 rae partes aliquas iisdem concedere, haud dedignatum sit. Quo
 sane honorificentius luculentiusque diuinitatis, aut amoris maius
 aliquod documentum, humanis legislatoribus largiri ac dare Deus
 immortalis haud potuisset. Tantum diuinitatis honorem non
 minus pie recolere assolent summi optimique Principes, quam
 munere hoc, diuinitus sibi collato, bene fungi omni modo an-
 nituntur, summoque Numini hanc prouinciam uehementer com-
 probaturi, id in primis curae studioque suo relictum atque datum
 esse, arbitrantur, ut diuinarum uestigia legum diligenter premant,
 hae ubi desinunt, constituere demum incipiant, diuina placita
 poenali saepe muniant sanctione ac uindictent, eademque, qua
 quidem insultus hominum temerarii atque uiolationes metuunt-
 tur facile, legibus suis, ueluti moenibus sepiant, sepimentoque
 circumuallent atque in tuto penitus collocent. Qua in re, prae-
 ter ceteros, diligentiam suam operamque maxime semper pro-
 baste Saxonicos summos Legislatores, aliisque omnino bonae
 imitationis uberrima praebuisse exempla, summae uis pietatis hic
 me cogit fateri. Admiramur itaque nos merito, et deuotissima
 mente contemplamur sedulo, admirabuntur quoque multum post
 nos uenturi, tantam et AVGVSTISSIMI LEGISLATO-
 RIS nostri et Diuorum eiusdem Maiorum diuinitatem, assidua
 studiosissimaque diuinarum sanctionum custodia ac tutela partam.
 Sed, Auditores, nolite hic a me expectare, uel id postulare, ut,
 e Saxoni luri integro tamque uasto campo, omnia ac singula
 huius rei momenta ex instituto nunc conquiram afferamque, cum,
 maximam fere illius partem diuinarum legum tutelae prouidae-
 que custodiae sacram esse atque consecratam, cognoscamus. Ha-
 bet inde fortissimum sanctitatis suae praesidium matrimonium,
 quam uiolare, uagisque libidinibus dehonestare, sancitis, ad di-
 uini

C

uini

vini iuris exemplum, grauissimis poenis, nefas est. Deinde, ne homines, matrimonium inituri, ad id, quod Deo abominabile esse, in sacro Codice, dicitur, prolabantur facile ac temere, Ius diuinum illud connubiale Saxonicae poenales circumsepunt sanctiones, ut non, nisi Saxonicarum legum ueluti pariete perfosso, diuino demum iuri metuendum sit. Consimili ratione criminibus atque facinoribus uariis, diuino iure hinc inde notatis ac damnatis, nostrates acerrime occurrunt leges, diuinas a contemptu uindicant, hominesque poenarum grauitate ac metu compescunt et in obsequio, externo saltem, erga Numen diuinum, continent. In primis uero Patriae leges diuinitatis laude propterea sunt efferendae maxima, quod uel praeceptis diuinis, ad cognitionem Numinis diuini, hominibus sedulo instillandam, ad sanctificandum et concelebrandum diem Sabbathi, cultumque omnem diuinum, pertinentibus, bene satis ac sapienter inseruiant, consulant auxilioque sint, uel naturalis iuris aequitatem simplicem pactis, Germanico prorsus Saxonum more, religiose seruandis, spretis ceteroquin atque reiectis uariis iuris peregrini apicibus, tueatur, et quae tandem sint reliqua iuris diuini, a Summo Legislatore Saxoniae perquam diligenter custoditi ac defensi, capita, prope innumera. Videtur itaque omnino in eximia huius operae, diuino iuri tam assidue semper nauatae, praemium pretiumque cedere iamque dudum cessisse, quod, et, sub felici auspicio tot Augustissimorum Legumlatorum suorum, Patria antiqua sua dignitate pariter atque felicitate adhuc gloriatur, et ipse PATER PATRIAE patrii iuris tutela, tam ualde honorifica, longe lateque fulgeat ac splendescat. Sed sola hac diuinorum iurum protectione omne humani legislatoris nondum absoluitur officium, ipse quoque ponit leges, suo consilio et arbitrio suaque autoritate subnixas. Hae, si cum sanctitate coniunctae sint, si, honestatis plenae, utilitatem insignem probent, si denique
perenni

perenni suo commedentur imperio, tum sane, illarum naturam et indolem diuinitate aliqua praeditam esse, ac donatam, uere existimatur. Adesse autem hic sanctitatem, arbitror, ubi humanae leges ad sanctiores res, diuinum uidelicet cultum, tam apte prudenterque accommodatae sunt ac relatae, ut, quod constituerit de his rebus Princeps, ipsi Deo, qui alioquin ad hominum uoluntatem coli haud uult, non possit non complacere, et sancto illi coetui singulariter prodesse atque conducere. Quare humanis legibus maius aliquid diuini inesse uix poterit, quam, si ueram religionem sedulo ac pro uirili iuuent foueantque, et ueram Ecclesiae salutem curent, cultum externum ad internum bene dirigant ac reuocent. Sic enim se gerendo humani legislatores, ipsam Dei causam administrant, deque illa bene mereri cupiunt, atque, re prorsus diuina occupati, seque intra legitimos officii sui uicarii limites ceteroquin continentes, diuini cuiusdam honoris praemio omnino condigni esse censentur. His numeris omnibus perfectae sunt et absolutae leges Saxonicae Ecclesiasticae suaeque diuinitate admodum pollent, quippe quae, inde a tempore in integrum nobis restitutae ueritatis aeternae, emendationi identidem quodam usu longe lateque commendatae, ad ipsius ecclesiae salutem hucusque haud exiguum contulerunt momentum, ac per bono illo ordine, quem uera amat Ecclesia, ipsam sustinuerunt atque sustentarunt diuinam ueritatem, maximum Reipublicae ornamentum omnisque humanae felicitatis praesidium firmissimum. Mirari itaque desinat, Auditores, cur tam bonae Leges ecclesiasticae nostrates aliis quoque gentibus, quae sacrorum communionem nobiscum utuntur, dudum ita arriserint, ut easdem uel usurpare, uel, in condendo quodam iure sacro, diligenter imitari, et ob oculos habere, haud sint dedignatae. His omnibus, ego, diuinam legum humanarum indolem amplius enodaturus, merito nunc quoque iungo summam earum utilitatem,

imib

C 2

tem,

tem, cum honestate arctissime semper coniunctam. Vtilitatis studium, ab honesto seiunctum, dedecus alioquin esse summum, agnouerunt iam gentiles sapientiores, sigillatim id egregie ac solide docuit Tullius, libris suis, de officiis. Coniungi ergo utrumque in legibus humanis sedulo oportet, non dedecoris modo eludendi, sed diuinitatis potissimum astruendae, causa. In hac enim utriusque sapientissima coniunctione summa Legum diuinarum perfectio posita est, et petendum inde exemplum, quod sequantur homines, Legislatores, diuinitatis cupidi. In quos tum maxime suoque iure conuenire uidetur, quod solenniter dicere solebant ueteres, hominem homini esse Deum, de illo uidelicet hoc praedicantes, qui alteri maximam afferret salutem iuaretque eundem, in magno quodam periculo, cum existimarent iidem, nihil aliud esse Deum, quam prodesse mortalibus, et forte eandem ob causam, opportunitatem diuinitate donandam, ducerent. Quid uero, bonis legibus, aptius est, ad salutem publicam et singulorum promouendam, custodiendam ac protegendam, quis, bono Principe optimoque Legislatore, Reipublicae utilior, quis ergo eodem sanctior diuinioreque. Sed uidentur quoque bonae leges inde nonnullum nancisci diuinitatis documentum, siquidem illae extra Rempublicam etiam auctoris sui laudem amplificent maxime, et imperio eius omnino latius pateant. Namque diuinae Leges ita sunt comparatae, ut homines, ubique locorum, sine loci exceptione, obstrictos deuinctosque teneant. Quare, diuini quid Legibus subesse humanis, censerem, si non quidem auctoris sui imperio, sua tamen uirtute ac bonitate, tantum ualeant, ut aliorum applausum ac receptionem passim facile mereantur. Celebre est hoc nomine ius Romanum, eamque ob causam a complurimis summa celebratur laude, quam uero alii nonnulli magni nominis uiri, ob complures illius iuris naeuos ac rationes, rebus domesticis minus congruas, aliquantulum uel
dimi-

diminuere, uel in dubium uocare, malunt. Sed missum facio hoc pariter, atque Canonicum ius, quod sane tantae laudis paullo pluribus implicitum est dubiis, ad Patriam eiusque iura animum libentius intendam. At hic rerum obruor multitudine, Legumque nostrarum admiratione abripior capiorque, ut, loquarne, an fileam, dubio me distentum uideam, mihi quoque obstat uerborum meorum paupertas, qua certe, uel quouis etiam mediocri loquendi conatu, tantam SERENISSIMI LEGISLATORIS NOSTRI celebritatem ac diuinitatem assequi haud ualerm. Loquatur ergo pro me ipsa Patria, PATRIS sui AVGVSTISSIMI legumque suarum diuinitate maxime recreata semperque fausta, loquatur iurium patriorum lumen diuinum, splendorem radiosque suos circum circa iaciens. Variarum quoque adest gentium ingens consensus, quae legibus iuribusque nostris domesticis, diuina eorum utilitate ac bonitate adductae, utuntur, eademque in maximo habent pretio atque honore. E tanta denique ac tam diuina Legum praestantia, aeternitatem ac perennitatem, ueluti nouum aliquod diuinae indolis argumentum, sua sponte fluere ac dimanare, uidetis. Quo enim quid in hoc rerum genere praestantius est, hoc diutius stat manetque firmum ac stabile, eoque propius ad diuinitatem, quae uere aeterna est, uirtute sua, accedere uidetur. Haec ergo Principi optima est eademque saxi ac marmoribus multo certior, atque omnibus reliquis monimentis secutior, uitae suae breuitatem consolandi ac redimendi ratio. Ipsi illis, qui ita nominis aeternitati consulere olim studebant, post rerum publicarum auctores, secundum regionum honorum locum atque gradum tribuebant ueteres, eisdemque Legislatores hanc ob causam Principes uocabant *perpetuos*, quod, post mortem quoque, per bonas suas leges, imperare ac regere haud desinerent, sed perenni imperii cuiusdam gloria uiuerent ac superessent. Hoc felicitatis

fastigium, hanc immortalitatis ac diuinitatis laudem dudum consecutum esse SERENISSIMUM nostrum atque AVGVSTISSIMUM LEGISLATOREM, uno ore fatentur omnes, admirantur singuli, quotquot sint, tantae rei satis periti, germani atque sinceri, arbitri. Tot vero ac tantorum, quae quidem ille cumulatissime iam obtinuit, diuinitatis ac perpetui Imperii monumentorum uel inire numerum, uel grauitatem summam iusto exprimere stylo ac persequi, aequae difficile, ac uiribus meis uerbisque maius esse, deuotissime intelligo atque libenter agnosco. Vel solam illam, qua, uindictam sumere priuatam, nefas est, perquam sapientem sanctionem, consentientibus omnibus, coelestis muneris loco haberi, par est, et, si modo nouam, de re iudiciaria, legem addas, sempiternae et immortalis laudis monumentum adest longe illustrissimum. Quare, seposito atque exploso uano illo gentilium diuinitatis studio, quo etiam Traianus, alioquin optimus, Diuum sese dici, uiuus est passus, reque rite explicata atque sumpta, quid obstet, non uideo, nec inuenio, quominus AVGVSTISSIMUM nostrum LEGIFERVM, tot tantisque diuinitatis atque immortalitatis documentis longe lateque celebratissimum, summae quidem pietatis significandae causa, Viuum iam Diuum liceat cognominare. Sed hoc nondum satis est diuinitatis, causas eiusdem adhuc plures tandem cumulat et auget exacta quaedam ac perbona iustitiae cura et administratio. Haec ergo quomodo speciatim comparata esse debeat, ut legislatori humano diuinitatis aliquod documentum inde suppetere uideatur, paucis nunc dicendum restat. Plurimum in se diuini habere iustitiam, arbitror, si Legislator ipse legibus, ab se latis, libenter uiuat, seque ipsum iisdem deuinctum, minus uero liberum atque solutum esse, credat atque existimet. Hanc enim rerum suarum iniens rationem Princeps, ipsum imitatur Numen diuinum, cuius non posset non repugnare sanctitati,

ti,

ti, si quidem susciperet quippiam, quod esset contra suam iustitiam, legibusque suis refragaretur. Nec, positum esse in libero Legislatorum humanorum arbitrio, putarim, uelintne illi sese, ad tantum diuinæ maiestatis sanctissimum componere exemplum, uel non, cum, fieri hoc sancteque seruari, et Principis persona et partibus, quas ille gerit, diuinis, dignissimum sit. Sin illud diuinitatis studium susque deque habeatur, omnino et ipsa humana maiestas et legum autoritas quodammodo uidetur periclitari. Verum hic nihil sibi metuunt Saxonici Summi Principes, in diuinitatis laude illis ponendum potius est, quod, in complurimis priuatis suis causis, eodem, cum subditis, uti iure haud dedignentur, Ipseque SERENISSIMVS ELECTOR noster, causas, ad fiscum suum similesque redditus spectantes, sigillatim a suprema Lipsiensi Curia Prouinciali iudicari ac decidi, iustitiæ inseruiendi causa, clementissime patiatur. Iustitiæ denique diuinæ hæc est indoles ac natura, ut sit immutabilis minimeque cedat hominum prauitati ingrauescenti, aut culparum rationi, aut leuiusculis exculpationibus, aut imbecillitatis falsis tegumentis. Consimili, quoad fieri potest, iustitiæ seueritate legum grauitatem tuentur legislatores humani, diuinæ iustitiæ aemuli suæque diuinitatis strenui assertores ac uindictæ cupidissimi. Hoc idem domesticarum legum luce AVGVSTISSIMI-
MIQUE LEGISLATORIS Saxoniae longe illustrissimo exemplo ac more collustraturo mihi, atque patrii Iuris campum percurrenti, tot occurrunt rerum monumenta, quæ, uel me tacente, rem non illustrent modo, sed penitus quoque conficiant atque extra omnem dubitationem ponant. Omnium instar, denuo hic in memoriam attinet reuocare diuinam illam sancti-
onem, qua hominum feritati, in uindictam priuatam pronæ, obex ponitur obstruiturque uia, omni quidem ueniæ spe infra-
cta. Attamen hic iustissimus iustitiæ zelus, multum abest, ut
clemen-

clementiae prorsus diuinae, ac tam admirabili, quae PATRI PATRIAE longe indulgentissimo nostro, gentium quoque consensu, ornamento est uere regio, nouoque diuinitatis documento, minuat laudem. Hic enim impertiri quidem nonnunquam clementiam, dareque ueniam hominum peccatis, haud grauat, nec dubitat, quoties uidelicet, uel parci diuino iuri, uel mitiori hac uia magis, quam legum feueritate, publicae causae aliorumque saluti contuli, cognoscit sapienter persuasumque habet. Admodum porro diuina est reliqua iustitiae dispensandae ratio, quae hominum facinorosorum calliditatem, probatissima sagacitate, superat et aliorum innocentiam, diuino more inuestigatam cognitamque, tuetur, et, in causis dubiis, probatque perquam difficilibus, uerum iustumque protrahit in lucem ac uindicat, et, ut paucis tandem complectar multa, iudicium uere probat Salomoneum, atque id ostendit maxime, summos legislatores humanos lucem iustitiamque, diuinitus acceptam, in clypeo suo gestitare officiali. Tanta tamque egregia iustitiae accuracione, teste quidem ipso rerum usu, saepenumero nituntur sententiae illae, quae, pro Imperii humani plenitudine, de causis perplexis atque spinosis, dicuntur. Qua de re turpiter falli ac fallere, ipsamque humanae maiestatis diuinitatem haud leuiter minuere, illi mihi uidentur, qui, et eiusmodi sententias, diuini iudicii tam plenas, et reliqua summi Principis facta, ad iustitiae administrationem spectantia, casu quodam excidisse fortuito atque contigisse, sat insipienter existimant ac sustinere non uerentur. Etenim, qui modo, quid hic saepe fiat eueniatque consulto, pia mente paulloque religiosius contempletur, ille arcanam aliquam actionum legislatoris et summi iudicis humani, cum ipsis DEI consiliis, reperiet conpirationem, quae quemuis, diuinarum humanarumque rerum satis gnarum, in maximam diuinitatis administrationem rapiat atque traducat. Hoc idem mihi,

mibi, sigillatim nunc in Patriae felicitatem intuenti, usu uenire, sentio. Siue enim Summorum, quae, Summi Legillatoris nostri nomine et autoritate, ius dicunt, Iudiciorum considerem constitutionem, siue ipsam illam iustitiae administrationem et curam quotidianam spectem, sane in his omnibus ac singulis sapientia aliqua et sagacitas spirat uere Salomonea atque diuina, quae **AVGVSTISSIMVM** nostrum **SALOMONEM** diuina cum felicitatis, tum sapientiae, laude gloriaque summa ubique gentium celebret, ornet efferatque ad coelum. Quot enim ille summa decora ac lumina, quot excellentissimos iustitiae sacerdotes, omni doctrinae genere politissimos, in quauis iurisprudentiae parte uersatissimos, iudiciiue tubacti acumine praeditos, Summis Patriae Tribunalibus atque Synedriis partim praesse, partim interesse, clementissime iubet. Si illos denique **PERILLVSTRISSIMOS VIROS**, qui sublimiori eminentissimoque loco, ad summa Reipublicae gubernacula sedent, eademque tractant, leuis, exilis atque inculta oratio mea attingere hic audeat, de tantorum togatae sagataeque militiae Heroum diuinis consiliis, quibus illi quotidie salutem publicam assidue constituunt, grauius muniunt, sanctissime custodiunt, literarum cultum fouent et amplificant ipsi, maximasque suas spartas **OPTIMO AVGVSTISSIMO PATRI PATRIAE**, et orbi non minus, qua patet, uniuerso, quam Sacro Imperio comprobant, Gentiumque merentur applausum et admirationem, demississimi quidem animi cultu crebro multumque cogito, uerba uero, tanta re digna, facere posse, mihi non uideor. Amplissimo, apud Romanos, quondam Patrum conscriptorum ordini summa fuit et constitit munerum dignitas atque grauitas, quam uero singulae illorum centuriae, quotquot unquam fuerint, aegre tuebantur, eandem tot nostratum Heroum singuli facile sustinent ac seruant. In hos itaque summo iure ueterum

D

con-

conueniunt laudes illae maximae, ut iidem sanctissimus ordo, Patrum sanctum concilium, templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici portusque iustitiae, pia deuotaque mente appellentur, cumque, eorum singulos incredibili ac prorsus singulari, res maximas et arduas gerendi feliciter, apteque moderandi, pollere autoritate atque sapientia, illustrissimorum abunde testetur meritorum magnitudo, quid certe diuinitatis tantorum collata uirorum suffragia coniunctaque consilia polliceantur, probe intelligit Patria, suspiciunt omnes. Consimile diuinitatis argumentum struit ac firmat ipsa Iudiciorum summorum optima ratio, et res Patriae iudiciaria, ad id singulariter composita et apta, ut ius celeriter non minus, quam solide et accurate reddatur, iustitiaque administretur, lites priuatorum hominum, Reipublicae detrimentosae, quamprimum finiantur. Haec omnia e communi ac publico feliciter fausteque fluere uoto, quotidie experitur Respublica, gloriantur Saxones, eademque omnia merito accepta ferunt perbono illi ordini, quo nituntur et constituta sunt summa Saxoniae Tribunalia, quoue diuinius aliquid, in hoc rerum genere, excogitari posse, negant, qui et aliarum gentium excultiorum ciuiles rationes, oculati testes, satis cognouerunt atque explorarunt. Si enim, Tullio existimante, in omni ratione uitae, dispositione atque ordine nihil pulchrius sit, sique his rebus, quae tractantur in uita, modum quendam adhibentes et ordinem, honestatem et decus conseruemus, si denique ipsi diuino Numini id, quod, in quauis re utili et honesta, ordine sit ac recte, ipsa teste ueritate, singularem in modum comprobetur, quid tandem de iustitiae administratione, re tam sancta ac diuina, erit dicendum, si illa tam sapienti quoque rerum, in summis Patriae Iudiciis, gerendarum et expediendarum ordine iuuetur ac fulciatur. Iustitiae rerumque forensium rationi, tam optime constitutae ac dispositae, felix non potest

potest non ubique respondere successus atque euentus, qui legum pariter nostrarum et summae, cui SERENISSIMVS Ipse, cum illustrissimis suis uicariatus diuini administris, uacat, curae diuinitatem egregie confirmat, maximoque ipsarum rerum documento aliquo communit. Vtitur ergo hucdum Saxonia Legum antiqua luriumque sua dignitate et gloria, nouis identidem incrementis ab AVGVSTISSIMO suo PATRE, quem in summis illa habet deliciis, aucta, fruitur felicitate perenni ac stabili, diuino uidelicet quodam fundamento, robore ac flore nixa, munita atque decorata. Quod tandem restat, nostrumque hic esse intelligitur, Auditores O. O. honoratissimi, tanta tamque luculenter nobis cognita, et ob oculos posita Maiestatis humanae diuinitas, non admirationem modo summam, sed, pro Numinis sanctissima indole ac natura, religiosissimum quoque animi cultum suo sibi iure omnino postulat, efflagitat etiam aeternum ac praepotens Numen ipsum. Sit igitur maneatque sempiternum Saxonum Symbolum, sit nostrae Religionis summa ac tessera, ut patrum maiorumque more, genuine, germane ac sincere Numen colamus diuinum nostrumque ueneremur humanum. Hoc primum est et antiquissimum diuini pariter atque omnis humani iuris caput ac momentum, sine quo, nec leges humanas subsistere posse, nec Iurisprudentiam sibi constare ipsam, semper credidi persuasumque habui. Quare, ad hanc metam, diuina humanaque iura aliis tradendo, maxime tendere soleo, nec desinam, quoad superfuero, postquam in primis ad illud sigillatim noui muneris ratione paullo fortius arctiusque nunc me obstrictum uideo. Etenim, Deo immortalis, summoque humanarum rerum Moderatore et arbitro ita gubernante, SERENISSIMVS POTENTISSIMVSQVE SARMATARVM REX ATQVE PRINCEPS ELECTOR SAXONIAE, DOMINVS ET NVTRITOR NOSTER

STER LONGE INDVLGENTISSIMVS, demissif-
 simis precibus meis clementissime annuens, Iuris Saxonici Pro-
 fessionem publicam ordinariam, per triennium antea uacuum,
 in illustri hac Academia patria, ad me deferre, meque uoti mei,
 ante octo iam annos explicati, compotem reddere, haud dedi-
 gnatus est. Iam dudum enim idem ambii publicum munus,
 primumque petii, aetatis quidem annum, qui uiros alioquin
 fert ac probat, iam tum ingressus, nec uanum aliquod ambitio-
 nis studium, sed, Deum testor, flagrantissimum, Patriae inser-
 uendi pietatemque probandi, me, ut peterem, impolit desi-
 derium. Verum tunc temporis Sapientissimo Numini non-
 dum uisum erat, in eodem me honoris atque felicitatis ponere
 loco et collocare, ego uero, quod non dissimulabo, cum sub
 idem tempus, in Patria meliora nec oculis statim uiderem, ne-
 que animo optarem, extra illam, mihi bene ac melius esse futu-
 rum, oblata in primis, non sine certissimo diuinae prouidentiae
 indicio, in celeberrima uidelicet Gryphiswaldensi Academia, ad-
 modum mihi fauente, consimilis muneris atque honoris occasio-
 ne, existimare certeque credere fere coepissem, nisi summum
 Numen ostensam hanc fortunae uiam occlusisset ipsum aliam-
 que, singulari suo interuentu clementissimo, in Patria, aperuis-
 set. Hanc itaque feliciter fausteque ingressus et hucusque secu-
 tus sum, et praepotenti Numinis manu **AVGVSTISSIMIOVE**
REGIS nostri ac **SVMMORVM MAECENATVM** se-
 cunda clementia ductus atque seruatus, tempestate, quae hinc
 inde obscuris saepe ex causis concitabatur, superata, mox ter-
 ram, tandemque ipsam salutis meae causam, ueluti e naviga-
 tione, in portum munitissimum tutissimumque uidi uentu-
 ram, iamque delatam esse laetor. Hic tamen rerum mearum
 tam prosper ac felix, quem Deus uotis meis largitus est, euen-
 tus, de tanti beneficii pretio, de muneris, mihi collati, diffi-
 culta-

cultate et laborum, quibus nunc connitendum esse intelligo, magnitudine, magnopere me admonet, angor etiam ego de multis uariisque, quibus certe, siquidem spartam hanc meam, pro eius dignitate, quemadmodum conuenit, exornare uelim, opus omnino est. Sed, cum spes, Deo confisa, fallatur nunquam, aut confundatur, ego quoque, sola hac ope, in omnibus hisce meis difficultatibus et curis, iuari, hoc solamine recreari, hac tutela diutius conseruari, hoc praesidio sustentari, cupio, meque porro tutum fore uehementer confido, ideoque hoc nomine ad benignissimum Numen diuinum, omnium, quae fauste fortunataeque nobis unquam contingunt, Autorem, Datorem, summumque Statorem, preces, cum, diuinam gloriam amplificandi, omnesque animi mei et corporis facultates ac uires Patriae, publicaeque saluti, consecrandi, studio atque uoto coniunctas, ore animoque deuotissimo, fundo ac nuncupo. His uero ardentissimis precibus meis ac religiosissimis uotis id potissimum complector, ut idem Deus immortalis diuinitatem illam; Legum Saxonicarum pondus et animam, quam ipse in AVGVSTISSIMI nostri LEGISLATORIS Maiestate tam magnifice ac pretiose collocauit atque communiuit, tueri clementer pergat, sartam tectamque seruet, omnique regiarum felicitatum genere cumulatissimam, post seros tandem eius aetatis multosque in orbem reuolutos annos, in Augustissimorum Nominum suorum Virtutumque ac Gentium HEREDEM, perpetuamque Sanguinis sui Regii seriem, deriuet ac deducat, ut illustrissimis denique CVRIAÈ REGIAE PROCERIBVS et ADMINISTRIS, quorum quotidianis consiliis diuinis, et sacrae Regiae Maiestatis diuinitate ipsi satis digni cognoscuntur, probantur, et Saxonum res publicae pariter ac priuatae, ecclesiasticae et seculares, stant pulcherrime florentque, propitio Numine suo diuino, in tam arduis ipsorum grauiusque ac difficillimis

negotiis, semper sit praesto firmissimoque, contra calamitates Patriae publicas, praesidio, eosdemque cum FAMILIIS ac GENTIBVS SVIS PERILLVSTRIBVS, pro tantorum, in salutem publicam, meritorum, et, quod demississime agnosco atque ueneror, apud me clementer collocatorum beneficiorum cumulo, rebus secundis, prosperitatibus maximis gloriaque immortalis uti constanter ac frui iubeat finatque. Ad uos tandem, *Patres Academiae*, orationem quoque meam conuerti oportet, quippe qui antiquam celeberrimae huius Musarum Sedis gloriam ac dignitatem sustinere, uindicare, ac tueri, pro cuiusuis uestrum ordinis sui ratione et loco, maximo optimoque conatu annitimini ac studetis. Magno sane mihi foret ingrati animi dedecori, si pietatis atque religionis, erga inclytam hanc Academiam, publice hic celare sensum et sincera superfedere uellem declaratione. Haec enim si me tam liberaliter olim non erudiuisset, animumque meum tam studiose ac fideliter haud coluisset atque expoliuisset, sane ad honorificum hoc munus publicum, quod hodie, propitio diuino Numine, auspico, illotis quidem manibus, neque aspirare, neque idem obtinere potuissem. Quanto ergo maiori cultu et obseruantia tam insigne beneficium genus remunerari omnino piaque conseruari memoria conuenit, quoue arctiori Academiae nostrae eiusque causae et communi saluti bene cupiendi inseruendique uinculo noui me muneris ratio obstringit, hoc ardentius florem perennem et prospera quaeque ex animo illi apprecor, eoque alacriori studio allaborabo semper, ut Vobis, *Pro-Rector Magnifico, ac Patres Academiae*, cum officiorum alacritas inseruendique studium maximum, tum obseruantia amicitiaeque, data quauis opportuna occasione, abunde probetur.

ULB Halle
006 205 208

3







№. 42,35.

V 2
851.

DE
LEGISLATORIS HVMANI
DIVINITATE

AVGVSTISSIMO
FRIDERICI AVGVSTI
SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE
POLONIARVM REGIS ET ELECTO
RIS SAXONIAE &c. &c. &c

EXEMPLO
LEGVMQVE SAXONICARVM INDOLE
ADMODVM CONSPICVA
IN AVDITORIO MAIORI

Die 11. Feb. 1713ccccxx

SOLENNITER PISSIMEQVE DIXIT
IVXTA ATQVE MAIORVM MORE NOVVM ACADEMICVM
MVNVS D. R. E. P. F. FELICITER OBTEIVTVM
AVSPICATVS EST

CHRISTIANVS HANACCIVS

VITEMBERGENSIS SAXO
D. ET SAXONICI IVRIS PROFESSOR PVBLICVS ORDINA
RIVS IN ACADEMIA PATRIA CLEMENTISSIME
CONSTITVTVS

VITEMBERGÆ

AERE EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII

47.

4

